

VIRO ILLUSTRI  
CAROLO GUILIELMO OTTONI KOCHIO  
DOCTORI JURIS ET REG. ORD. ALBERT. EQUITI  
CIVITATIS LIPSIENSIS CONSULI MAGNIFICO  
UNI E CURATORIBUS, QUIBUS GYMNASIORUM CURA  
LIPSIENSIVM JUSSU REGIO COMMISSA EST  
HACTENUS  
GYMNASII NICOLAITANI PRAESIDI SENATORIO

S. P. D.

CAROLUS FRID. AUG. NOBBE,  
RECTOR ETC.

Qui quindecim per annos, per quos gymnasii nostri curam Senatus Lipsiensis auctoritate sustinuisti, testis fui illius diligentiae, qua res nostras strenue et expedite administrabas, illius pietatis, qua juventuti scholasticae ejusque parentibus satisfactum semper volebas, illius humanitatis, qua gymnasii magistros curis levandos curabas eorumque vitam ita juvandam putabas, ut, qui artes liberales docerent, ipsi liberaliter possent vivere, illius omnino religiosis, qua e re publica litterarum studia augere semper studebas, non jam possum hanc, quam mihi annualium scriptio praebet, occasionem praetermittere Tibi deposito nuper gymnasii nostri praesidio senatorio his litteris adjunctis solenniter valedicendi respondendi que ad eam epistolam, qua Tu, Vir praestantissime, nobis valeridixisti. Iterum vero discessisti a nobis Nicolaitanis, olim disciplinae scholasticae cursu feliciter absoluto, nunc si quod schola Tibi pietatis officium quondam imposuerat, ejus exsequendi piaculo verecunde soluto. Ea quidem semper fuit senatus Lipsiensis voluntas, ut, quo studiosius succrescentem juventutem in posterorum gratiam educandam curaret, de scholis bene mereret. Sic Einertus et Siegmundus pacis opportunitate utentes cum Blümnero hujus saeculi de-

cennio tertio faciendum putarunt, ut sex classium studia sejungerentur et tria magisteria antiquioribus adderentur, crescente discipulorum coetu Sickelius aedem amplificavit numeroque praceptorum rursus unum adjunxit, alii alia certatim fecerunt. Nihil Tibi cura majorum reliqui fecisse videbatur. Sed qui probe nosses rerum caussas hominumque ingenia, mox facile intellexisti, quam arduus esset labor magistrorum, quam tenue stipendium iis datum a majoribus, quam stricta nostrorum condicio temporum, quam pretiosus victus, quamque angusta res magistrorum. Id Te docebat operosa eorum vita, etiam aliena studiose curantium quamquam honesta litterarum negotia. Scholae igitur ut succurreres, magistrorum desideriis aures praebuisti, senatuique non minus, quam ceteris civitatis interpretibus, qua es facundia, persuasisti, ut tandem curis ii viri aliquantum levarentur, quibus injuncta est cura serendi arbores, quae alteri saeculo prosint.

Itaque valedictioni meae gratiarum actionem adjunxi, Consul Magnifice; ut ne de meo in TE animo dubitares. Deus vero Tibi adsit in rebus consilio bono susceptis et suscipiendis et privatis et publicis etiam posthac omnibus. Vale mihi que et rebus Nicolaitanis favere perge. Lipsiae d. III. m. Januarii. a. S. MDCCCLXIII.